

novo amylo obducantur, et indurentur. Quinimo neque ipse calix indiget nova consecratione, licet per usum diuturnum amiserit deaurationem; uti tenent plerique doctores. Atque ideo hanc sententiam valde probabilem censet Layman, lib. V, tract. V, cap. VI, num. 7, citans Guil. Durandum in *Rationali*. lib. I, cap. VI, num. 36 et Coninch *de Sacramentis*, quæst. 83, art. III, dub. 3, n. 246, idemque tradunt Diana, part. II *Resolut. moral.* tract. I, *Miscell.* resol. 3, et nonnulli alii. Verum his non obstantibus,

32. *Sententia contraria est probabilior.* — Resp. I. Probabilior est, quod calix per deaurationem amittat consecrationem; atque ideo sit reconsecrandus, quando deauratur quoad illam partem, seu superficiem, quæ immediate tangit sanctissimum sacramentum Corporis et Sanguinis Christi: idemque dicendum de patena. Ita Angelus, §. *Calix*, num. 2, dicens, sic servare consuetudinem. Suarez, tom. III, disp. 81, sect. 3, Sa, §. *Calix*, num. 2, dicens, quod quidem calici non pereat consecratio, si deauratio per usum decidat; si tamen de novo deauretur, soleat iterum consecrari. Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. Episc.* allegat. 27, n. 38, citans insuper Sylvestrum, Armillam, Azorium, pluresque alios.

33. *Huc usque ratio.* — Ratio est: quia consecratio calicis, et patenæ principaliter fit propter immediatum contactum sacramenti Corporis, et Sanguinis Christi: unde et illa sola pars seu superficies, in qua fit contactus ille, sacro chrismate perungitur: atqui posita nova deauratione, contactus ille nequit amplius fieri in parte, seu superficie consecrata; cum aurum noviter additum, non sit consecratum, nec chrismate delibatum; ergo. Accedit praxis Ecclesiæ, et recepta consuetudo calices deauratos denuo consecrandi, quæ est optima legum interpretis, et de qua testantur memorati auctores.

34. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Nec obstant rationes in contrarium num. 3, allatæ. Ad primam quippe negatur minor: nam jure cautum est, ut propter contactum sanctissimi Sacramenti calices consecrentur; sicque amissa per deaurationem consecratione (ob rationes allegatas) oportet aliam adhibere. Ad alteram negatur assumptum. Licet enim per deaurationem non immutetur forma exterior calicis, immutatur tamen pars principalis, seu interior ipsius, in qua fit immediatus contactus augustissimi Sacra-

menti; sicque opus est nova consecratione, atque inunctione chrisimalis. Nec urget exemplum de Ecclesia, ejusque parietibus: nam hic non intervenit talis contractus immediatus, quamvis, si parietes Ecclesiæ totaliter de crustentur, opus fore reconsecratione, teneat Glossa in *can. Ecclesiis. de Consecr.* dist. 4, de quo tamen judicent alii.

35. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Ad tertiam negatur consequentia, cum sua probatione. Nam major pars trahens ad se minorem, non censetur ea, quæ est major quantitate molis, sed quæ est principalior, seu dignior; qualis impræsentiarum est sola pars interior calicis, ac superior patenæ, immediate tangens sanctissimum Sacramentum: unde argumentum militat in oppositum. Porro instantia de corporalibus parum urget: ea enim neque chrismate inungitur ut calix, et patena; neque per lotionem accipiunt novam aliquam partem, quæ principaliter ordinetur ad tangendum immediate augustissimum Sacramentum: prout accidit in calice interius deaurato: amyllum quippe solummodo inducitur ad corporalis decorem, illudque aequaliter indurandum. Atque eadem de causa haud immerito dicitur, quod calix non perdat consecrationem, quando deauratio solum decidit per non usum, nulla autem nova portio auri per deaurationem accedit: quia tunc nihil intervenit, quod nondum fuit consecratum, sicque consecratione opus habeat; prout tamen fit in casu nostro.

TITULUS XVII.

De Filiis presbyterorum ordinandis, vel non?

1. *Quinque ordinum impedimenta sequentibus titulis tractantur.* — Viso hactenus de ordinationibus, et qualitatibus ordinandorum, simul et præficiendorum; pergit Compiler juris canonici ad enumeranda eorundem impedimenta, quorum præcipua quinque in hoc, et sequentibus titulis pertractantur. I. Defectus natalium, qui dicitur *Vitium originis*. II. Condicio servilis. III. Obligatio ad ratiocinia. IV. Vitium corporis. V. Bigamia. Igitur in præsentis titulo fit initium ab iis, qui ob defectum natalium ordinari prohibentur: nam licet præsens Rubrica de solis filiis

presbyterorum faciat mentionem, nihilominus idem titulus in sexto decretalium generaliter inscribitur: « De Filiis presbyterorum et aliis illegitimis natis. » Hinc

2. *Illegitimorum plures sunt species, filius naturalis, quis? Manser, nothus, et spurius, quis?* — Quæritur I. Quinam omnes ex defectu natalium ab ordinibus repellantur? Resp. I. *Illegitimorum*, hoc est, eorum, qui non ex justis nuptiis, sed extra matrimonium nascuntur, plures sunt species: nam si quis sit natus ex parentibus solatis, inter quos tempore conceptionis, vel saltem nativitalis suæ, poterat consistere matrimonium, spectato jure canonico dicitur *Filius naturalis*; quamvis de jure civili solus ille dicatur *Filius naturalis*, qui natus fuit ex concubina domi retenta loco uxoris, et non ex furtivo accessu. Abbas, c. *Innotuit*, n. 17, *de Election.* Si autem quis ex scorto, seu publica meretrice sit natus, solet vocari *Manser*, seu (ut alii legunt) *Manser*. Si ex conjugato et soluta, dicitur *Nothus*. Si ex copula in jure civili damnata, veluti ex raptu, incestu, stupro, vel sacrilegio, dicitur *Spurius*, a *spurcitia* per leges reprobata. Ita Barbosa, *de Offic. et potest. Episc.* part. II, allegat. 43, n. 18, quamvis Glossa, in c. *Nisi cum pridem*, §. *Manseres*, *de Renuntiati.*, cum nonnullis aliis, dictos terminos paulo aliter explicet.

3. *Natus mense septimo matrimonii, aut undecimo post mortem mariti, an censeatur legitimus?* — Solum nota, quamvis ordinarium tempus pariendi censeatur esse novem menses, si quis tamen ex justis nuptiis septimo mense natus fuerit, ipsum censi legitimum filium, per textum expressum, in l. *Septimo*, ff. *de Statu hominum*. Idque non tantum de completo septimo mense intelligendum est, sed etiam de inchoato: prout de eo, qui centesimo octogesimo secundo die natus est, habetur de c. *Intestato*, ff. *de Suis et legitimis filiis*. Major difficultas est de nato post decem menses mortis mariti: nam talis non admittitur ad hæreditatem, cit. l. *Intestato*. Simulque mulier, quæ peperit undecimo mense perfecto post mortem viri, censetur incasta, et partus illegitimus, Auth. *de Restitut. et ea que parit.*, etc. collat. 4, addita ea ratione: « Neque enim in tantum tempus conceptionis extensum est. » Verum Glossa hic §. *Perfecto*, fatetur, quod per decem menses et duos dies, possit mulier portare filium in utero, licet non plus. Sed de hoc alibi, nempe, lib. IV, tit. XVII, *Qui filii sint legitimi*: ubi etiam

restat declarandum, qualiter filii illegitimi per subsequens matrimonium legitimentur.

4. *Omnes illegitimi prohibentur ordinari. Et hujus ratio.* — Resp. II. Non solum filii presbyterorum in sacerdotio sacrilege geniti, sed et omnes alii illegitimi prohibentur ordinari: nisi vel religionem approbatam ingrediantur, vel cum aliquo rite fuerit dispensatum. Patet id ex cap. I, h. t., et cap. I, eod. in 6, cum concordantiis. Idque statutum fuit tribus potissimum de causis, quas affert Glossa, in cap. ult., §. *Defectu*, h. t., in 6, salubriter jure canonico constitutum fuit, quod illegitimi non ordinentur. Primo, ob ordinis prærogativam, seu excellentiam, atque dignitatem: unde indignum censetur, ut conferatur personis tam vilibus, infamibus, et quæ notam turpitudinis contraxerunt, c. *Inter dilectos*, 11, *de Excessib. prælat.* Deinde ob detestationem, atque execrationem paterni criminis, quod puniatur in filio, ut per hoc puniatur ipsemet pater, arg. l. *Isti quidem*, §. fin., ff. *De eo, quod metus causa*, et c. *Vergentis*, 10, *de Hæretic.* Tertio, propter incontinentiam paternam, quæ timetur in filio, arg. can. *Si gens*, dist. 56, et concordat illud vulgatum, « Sæpe solet similis filius esse patri. » Ex his consurgit alia ratio, videlicet scandalum illorum, inter quos illegitimus ordinatus conversatur: simulque, quia indecens est, ut incasti parentis memoria continuo per liberos in Ecclesia repræsentetur, c. *Cum decorem*, 16, h. t., juncto concilio Tridentino, sess. 23, cap. xv, *de Reform.* (ADNOTATIO LIV.)

5. *Filii presbyterorum ante sacerdotium ex justis nuptiis procreati, possunt ordinari. Imo nonnulli horum ad Summum Pontificatum fuerunt assumpti.* — Dicitur notanter, num. 4: « Filii presbyterorum in sacerdotio sacrilege geniti. » Nam, qui ante susceptionem sacrorum ordinum ex justis nuptiis procreati sunt, omni jure censentur legitimi, ac proinde neque ab ordinum susceptione arcentur. Quin etiam nonnulli tales leguntur ad summum Pontificatum assumpti; ut sanctus Agapitus I. Gordani episcopi cardinalis ex legitimo matrimonio filius, Romanus: ac Cælius Sylvester filius Hornisdæ Papæ ex legitimo thoro, prout inter alios notat *Bullarium Romanum* in *Summarium vite dictorum Pontificum*.

6. *Filius sacerdotis Græci licite ordinatur: secus de Latinis; et cur?* — Quinimo data est responsio intelligenda de filiis sacrilege genitis. Nam filius sacerdotis Græci, qui juxta ritum Græcorum uxorem duxit in ordinibus

minoribus constitutus, licite ordinatur, et cessante scandalo promovetur etiam inter Latinos; ut c. *Cum olim*, 6, de *Cleric. conjugat.* Secus dicendum inter Latinos: nam, quia in Ecclesia Latina ordo sacer habet annexum votum continentiae, sicque uxore ante susceptos sacros ordines legitime ducta, postea uti non licet, can. *Placuit*, dist. 32, cum similibus: hinc in sacerdotio contra tale votum genitus, etiam de uxore legitima, nequit ad ordines, vel beneficia promoveri absque dispensatione, c. *Litteras*, 14, h. t.

7. *Illegitimus, si religionem ingrediatur, potest ordinari; non vero ad praelaturam assumi. Est inhabilis ad Cardinalatum, etiamsi per subsequens matrimonium legitimetur, aut dispensetur.* — Additur etiam num. 4: « Nisi vel religionem ingrediatur, vel cum aliquo rite fuerit dispensatum. » Quia illegitimus, si fiat religiosus, licite potest ordinari, etsi ad praelaturam assumi nequeat; prout habetur decimum in can. *Presbyterorum*, dist. 56, et cil. cap. 1, h. t. Nam per susceptionem religionis, ab Ecclesia approbata, habilitatur quidem aliquis ad suscipiendos ordines, non tamen ad obtinendam praelaturam; idque ob specialem hujus prerogativam, et excellentiam. Quod procedit juxta Glossam, ibid., §. *Praelationem*, nisi quoad obtinendam praelaturam cum tali legitime per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum. Deinde, quod illegitimi rite dispensari possint ad sacros ordines, imo ad beneficia ecclesiastica promoveri, in confesso est: quanquam loquendo de cardinalatu, extet bulla Sixti V, quae incipit, *Postquam verus* (et habetur, tom. II, *Bullarii Romani*, Constit. 50, dicti Pontif.), in qua idem Pontifex decrevit, quod illegitimi etiam per subsequens matrimonium legitimated, aut super defectu natalium auctoritate Apostolica dispensati, ab obtinendam cardinalatus dignitatem perpetuo sint inhabiles. Verum occasione praemissorum,

8. *Papa, et cui is commiserit, potest dispensare cum illegitimis.* — Quæritur II. Quis possit cum illegitimis dispensare ad ordines, et beneficia ecclesiastica? Resp. I. Ad ordines majores, atque beneficia curata, sicut et ad dignitates, personatus, atque canonicatus cathedralium Ecclesiarum, dispensat cum illegitimis solus Papa, et cui is hanc facultatem ex speciali privilegio concesserit: ad ordines vero minores, atque beneficia simplicia, jure ordinario potest cum ipsis, ex quocumque damnato coitu sint procreati,

etiam dispensare episcopus, dummodo aliud non obstet. Ita Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 45, n. 19 et seqq., et alii passim. Ratio est: quia irregularitas ex defectu natalium proveniens est juris dumtaxat positivi humani, seu ecclesiastici: ergo posse in ipsa dispensare Papam, et quibus ipse commiserit, non est aliquatenus dubitandum: atqui spectato jure ordinario, et secluso speciali privilegio, Papa solummodo concessit episcopis facultatem dispensandi ex rationabili causa cum illegitimis quoad ordines minores, ac beneficia simplicia, non autem quoad alia; ergo.

9. *Cum illegitimus dispensat episcopus quoad ordines minores, ac beneficium simplex: Sed solus Papa quoad ordines majores, beneficia curata, dignitates, et personatus.* — Subsumptum istud probatur ex cap. 1, h. t., in 6, ubi expresse conceditur episcopis facultas dispensandi cum illegitimis (si eis aliud canonicum non obsistat) ut ad ordines minores, et beneficium non curatum, promoveri valeant: simul tamen subjungitur, quod ad ordines majores, vel beneficia curam animarum habentia, nequeant dispensare episcopi, sed sit opus dispensatione Sedis Apostolicæ. Concordat, cap. ult., h. t., ubi pariter illegitimi absque dispensatione Papæ ad dignitates, personatus, et beneficia curam animarum habentia promoveri prohibentur: et si secus attentatum fuerit per episcopum, declaratur collatio invalida, et amotis illegitimis aliæ personæ idoneæ promoveri jubentur.

10. *Atque canonicatus ecclesiarum cathedralium.* — Atque hoc ipsum esse dicendum de canonicatibus Ecclesiarum cathedralium, utpote qui propter specialem prerogativam honoris annumerantur majoribus beneficiis, desumitur ex c. *Quamvis*, 4, de *Præbend.*, in 6, ac tenet Rebuffus, in *Praxi benefic.*, tit. de *Dispensatione super defectu natalium*, n. 10, citans alios. Accedit, quod de facto post concilium Tridentinum, sess. 24, cap. XII, de *Reform. canonicatus Ecclesiarum cathedralium* requirant sacrum ordinem; ergo, cum episcopus cum illegitimis nequeat dispensare quoad ordinem sacrum, ut proxime dictum, neque ad canonicatum cathedralium dispensare valebit. Unde non urget, quod olim contrarium tenuerit Glossa, cap. un., §. *Beneficium*, h. t., in 6, quam nonnulli alii sunt secuti: nam horum sententia probabiliter ante concilium Tridentinum, ac spectato jure antiquo teneri poterat; non tamen de facto, ac

post dictum concilium. Barbosa, de *Canonicis et dignitatib.*, cap. XIII, num. 26, citans alios.

11. *Quoad canonicatus tamen Ecclesiarum collegiatarum dispensat episcopus.* — Secus est dicendum de canonicatu Ecclesiæ collegiatæ. Nam, cum is non necessario habeat annexum ordinem sacrum, neque annumeretur dignitatibus, aut personatibus, posse episcopum dispensare cum illegitimis ad obtinendum canonicatum in Ecclesia collegiata, recte observat Zerola, in *Praxi episcoporum*, part. I, §. *Canoniam*, n. 3; Garcias, de *Beneficiis*, part. VII, cap. II, n. 69; Barbosa, in cit. cap. XIII, n. 25, et part. II, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 45, n. 20, cum pluribus aliis, quos citat.

12. *Nisi ipsis, vel aliis beneficiis simplicibus, jure speciali sit annexus ordo sacer.* — Notanter tamen additur num. 8: « Dummodo aliud non obstet. » Dantur enim certi casus, in quibus episcopus nequit dispensare cum illegitimis etiam quoad obtinendum simplex beneficium. Et primo id accidit, quoties ejusmodi beneficia simplicia ex privilegio, consuetudine, vel statuto particulari locorum, requirunt ordinem sacrum: quia cum in tali ordine nequeat dispensare episcopus cum illegitimis, ergo nec in beneficio, quod talem ordinem requirit, arg. c. *Translato*, 3, de *Constitut.*, ac notat Glossa, in cap. I, §. *Tale*, h. t., in 6.

13. *Vel pater illegitimi in tali Ecclesia beneficium habuerit.* — Deinde nequit episcopus dispensare cum illegitimo quoad obtinendum beneficium simplex, in quo pater immediate antecessit: nam aliunde prohibitum est, ne filius immediate succedat patri in beneficio, ut c. *Quoniam*, 10, h. t., etc., *Ad extirpandas*, 11, h. t., ac notat Glossa, loc. cit. Atque istud de facto procedit de obtinendo quocumque beneficio, etiam dissimili, vel alio ministerio in Ecclesia, in qua pater illegitimi beneficium habet, vel habuit, juxta novum decretum concilii Trident., sess. 25, cap. xv, de *Reform.*, nam contra istud episcopus non habet facultatem dispensandi.

14. *Nec potest episcopus cum illegitimo dispensare quoad pluralitatem beneficiorum simplicium.* — Insuper non potest episcopus dispensare cum illegitimo super pluralitate beneficiorum simplicium, sed dumtaxat ad obtinendum beneficium unicum, arg. cap. 1, h. t., in 6, utpote quod loquitur in singulari, ibi: « Ex dispensatione episcopi licite potest

— obtinere beneficium. » Et sic cum simus in materia prohibitoria, seu generaliter interdicta, censetur licita facultas dispensandi episcopis concessa non extendi ad plura; ut c. *Gaudemus*, §. *Quia vero de divortis*, ac notat Barbosa, cit. allegat. 45, n. 28; Garcias, cit. lib. VII, cap. II, n. 50; Zerola, part. I, *Praxis episc.*, §. *Ordo*, circa finem, et alii communiter, paucis exceptis. Concordat, c. *Si is*, 2, h. t., in 6, juncta Glossa, §. *Sedem*.

15. *Capitulum Sede vacante potest dispensare cum illegitimis, sicut episcopus.* — Resp. II. Capitulum Sede vacante potest dispensare cum illegitimis, sicut poterat episcopus. Ita Navarrus, consil. 7, de *Filiis presbyt.*; Zerola, part. II, *Praxis episc.*, §. *Capitulum*, §. *Tertio*; Barbosa, loc. cit., n. 25, allegans alios. Ratio est: quia capitulum sede vacante succedit episcopo in omnibus illis, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, præterquam in casibus specialiter exceptis: atqui potestas dispensandi cum illegitimis, ut supra, pertinet ad ordinariam potestatem episcopi, neque casus iste alicubi reperitur specialiter exceptus; ergo.

16. *Dispensatio cum illegitimis est strictæ interpretationis.* — Quæritur III. Utrum dispensatio cum illegitimis sit strictæ interpretationis, et qualiter? Resp. I. Certum est, quod ejusmodi dispensatio sit strictæ interpretationis; cum censeatur vulnus juris, ac proinde veluti odiosa sit accipienda. Patet hoc ex cap. 1, §. fin., h. t., n. 6, ubi de facta tali dispensatione cum illegitimo ad obtinendum beneficium curatum, Pontifex inquit: « Quam exorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi. » Concordant dicta superius, tit. II, de *Constitutionibus*, §. 18, n. 451 et seqq.

17. *Ita ut in ea non valeat argumentum a majori ad minus.* — Resp. II. Dispensatio cum illegitimis adeo est strictæ interpretationis, ut in ea non valeat argumentum a majori ad minus, vel ad simile, nisi quando istud minus comprehensive ac necessario includitur sub illo majori, aut necessario consequitur ad illud, super quo fuit dispensatum. Ita Glossa, can. *Si quis in clero*, 7, q. 1, §. *Solemibus*; Barbosa, ead. alleg. 45, n. 2, citans alios; et concordant dicta superius cit. tit. II, §. 18, n. 451 et 454.

18. *Unde illegitimus simpliciter dispensatus ad beneficium non potest obtinere nisi unicum.* — Infertur proinde primo, quod illegitimus simpliciter dispensatus ad beneficium possit

obtinere dumtaxat unicum, non autem duo simul, cit. cap. I, § *Ille vero*, h. t., in 6.

19. *Simulque simplex tantummodo, non curatum.* — Infertur secundo, quod dispensatus simpliciter ad beneficium valeat solummodo obtinere simplex, non autem beneficium curatum, dignitatem, aut personatum. Barbosa, *ibid.*, n. 7; Garcias, *de Beneficiis*, part. I, cap. VI, n. 59, citans Rotam, decis. 2, *de Filiis presbyt.*, in novis; Rebuffus, cit. tit. *de Dispensatione super defectu natalium*, num. 51 et seqq., et alii, paucis exceptis. Ratio est: tum quia dispensatio ejusmodi, veluti odiosa, est stricte interpretanda, sicque ly *Beneficium*, simpliciter positum, pro solo simplici accipi debet, arg. cap. ult., h. t., et cap. I, eod. in 6, et c. *Quamvis plenissima*, 4, *de Præbend.*, in 6; tum quia major requiritur idoneitas in beneficio curam animarum annexam habente, quam in simplici, c. *Cum illis*, 16, *de Præbend.*, in 6. Simulque, quia in materia odiosa nomine beneficii, non comprehenduntur canonicatus et dignitates; idque ob majorem herum prærogativam, nisi specialiter exprimantur, ut c. *Statutum*, 22, *de Elect.*, in 6.

20. *Ac simpliciter dispensatus ad ordines, censetur dumtaxat dispensatus ad minores: secus, si dispensetur ad ordines sacros.* — Infertur tertio, quod illegitimus simpliciter dispensatus ad ordines, intelligatur dumtaxat dispensatus ad ordines minores, arg. cap. ult., h. t., in 6, juncta Glossa marginali, *ibid.*, et alia Glossa in c. *Litteras*, 14, § *Ordinari*, h. t. Nam quia dispensatio est stricti juris, stricteque interpretanda sufficit quod dispensatio facta ad ordines effectum suum sortiatur in minoribus ordinibus. Rebuffus, loc. cit. n. 47; Barbosa, in tract. *de Appellativa verborum significat.*, § *Ordo*, n. 1, citans alios. Quod si quis vero dispensetur quoad ordines sacros, hoc ipso censetur etiam dispensatus quoad minores, utpote qui necessario prærequiruntur ad illos licite recipiendos. Barbosa, cit. alleg. 43, n. 3.

21. *Dispensatus ad ordines, non censetur dispensatus ad beneficium, etiam simplex.* — Insuper dispensatio cum illegitimis facta quoad ordines, non extenditur ad beneficia: quia hæc duo sunt separabilia, atque executio ordinum potest stare sine beneficio. Et hoc quidem plerique doctores extendunt ad quodcumque beneficium etiam simplex, ob rationes hactenus allegatas. Barbosa, loc. cit., n. 6; Garcias, d. part. I, cap. VI, num. 70 et seqq., citans alios: ac proin caute in inter-

pretatione, et concessione talium dispensationum fit expressa etiam mentio beneficii consequendi.

22. *Et quid de dispensato ad ordines sacros?* — Fatendum tamen, quod Oldradus, consil. 215, § *Quædam*, citans Innocentium, in cap. ult., h. t., et nonnulli alii velint, quod dispensatus ad sacros ordines, hoc ipso videatur dispensatus ad obtinendum simplex beneficium, ne alioquin in opprobrium ordinis clericalis mendicare cogatur. Cui sententiæ favet textus, in c. *Proposuit*, 6, h. t., ubi dicitur indignum esse, ut illegitimus, postquam est in subdiaconum ordinatus, omnino debeat beneficio ecclesiastico carere. Unde Glossa, *ibid.*, § *Carere*, et Abbas, num. 4, concludunt, atque allegatis aliis juribus probant, quod, qui habet ordinem, debeat habere beneficium. Atque hæc sententia in illegitimis dispensative promotis ad sacros ordines, satis probabilis est, sed in dispensatis solummodo ad ordines minores, procedit prior opinio; cum tales adhuc ad statum laicalem redire et nubere possint, ne mendicare cogantur.

23. *Utrum episcopus possit dispensare cum illegitimis virtute concilii Tridentini, quando eorum illegitimitas est occulta?* — Quæritur IV. Utrum episcopus possit dispensare cum illegitimis ad sacros ordines, saltem virtute concilii Tridentini, sess. 24, cap. VI, *de Reform.* quando eorum illegitimitas est occulta? Resp. I. In resolutione hujus questionis multum controvertunt doctores; atque abeunt in duas extremas sententias, prout videre est apud Barbosam, Layman, et alios mox citandos. Et quidem

24. *Afferuntur rationes pro sententia negativa.* — Negativa sententia suadetur ex eo: quia concilium Trident. cit. cap. VI, tribuit solum facultatem « Episcopis dispensandi in irregularitatibus omnibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, » prout sonant verba ejusdem. Atqui irregularitas illegitimi non provenit ex delicto: cum proles illegitime nata sit innocens, atque extra culpam; ergo.

25. *Afferuntur rationes pro sententia negativa.* — Nec videtur obviare præcedens peccatum parentum; tum quia per irregularitatem ex delicto occulto provenientem, concilium intelligit solummodo eam, quæ orta est ex delicto proprio ipsius irregularis, et non ex alieno; prout colligitur ex communi sensu et doctrina tam theologorum, quam canoni-

starum, idcirco asserentium, quod irregularitas illegitimatorum sit irregularitas ex defectu, et non ex delicto; tum quia hæc potius provenit ex nota, seu macula quadam morali, ac indecentia, quam filius contrahit, eo quod non sit procreatus ex legitimo matrimonio, atque idcirco arcendus censeatur a sacris altaris ministeriis; non autem ex culpa, seu delicto illius, aut parentum suorum: prout constat ex eo, quia etiam contrahitur ab illo, cujus parentes inuupti, ob defectum rationis, ex furore, aut amentia, vel ignorantia invincibili provenientes, in ejus procreatione non peccaverunt. Atque ita tenet Suarez, tom. V, *de Censuris*, disp. 50, sect. 5, n. 5; Navarrus, cap. XXVII. *Manual.* n. 194, in fine; Castro Palao, disp. 6, *de Censuris*, punct. 9, n. 10; Bonacina, Hurtado, Filliucius, et alii non pauci.

26. *Sententia affirmativa, veluti probabilior, a pluribus propugnatur. Natus ex matrimonio bona fide contracto, sed invalido, non est illegitimus.* — Affirmativa vero sententia, et priori directe contraria, fundatur imprimis in hoc: quia irregularitas illegitimi intrinsece dependet a delicto parentum; ergo, quando delictum parentum est occultum, ea revera est irregularitas ex delicto occulto proveniens; sicque comprehenditur sub citato decreto concilii Tridentini. Antecedens probatur: quia natus ex matrimonio bona fide contracto, revera tamen invalido, non censetur illegitimus, neque irregularis; ut constat ex c. *Cum inter*, 2, et c. *Prælatum*, 8, et c. *Pervenit*. II. *Qui filii sint legitimi*. Confirmatur: « quia odia restringi, et favores convenit ampliari, » juxta notissimam reg. 15 juris in 6. Ergo, cum concilium Tridentinum absolute, atque sine aliqua restrictione, dederit episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, non est cur favorem, seu facultatem dispensandi amplam, et adeo generaliter concessam, restringamus ad irregularitatem dumtaxat provenientem immediate ex proprio delicto, et non etiam ipsam ampliemus ad ortam mediate, seu ex delicto occulto parentum.

27. *Sententia affirmativa, veluti probabilior, a pluribus propugnatur. Natus ex matrimonio bona fide contracto, sed invalido, non est illegitimus.* — Confirmatur hæc sententia alterius ex eo, tum quia memorata concessio concilii Tridentini continet merum beneficium

principis, seu nulli alteri præjudicans; adeoque est latissime interpretanda; « cum plenissima sit in beneficiis interpretatio facienda, » c. *Cui de non*, 27, *de Præbend.* in 6, cum concordantiis, estque amplius dictum tit. *de Constitutionibus*, § 17, num. 444, et seqq.; tum quia talis irregularitas, seu defectus natalium, in jure dicitur, ac censetur esse etiam proprius reatus; ut c. *Innotuit*, 20, § *Multa de Election.* ubi de quodam illegitime nato legitur, « quod is sponte, ac humiliter suum maluit confiteri reatum » Ubi ponderandum ly « suum confiteri reatum; » tum tandem, quia si revera concilium Tridentinum a sua tam favorabili ac generali concessione voluisset excludere irregularitatem ex occulto delicto alieno provenientem, potuisset etiam hanc expressisse, sicut expressit, atque excepit irregularitatem ex occulto homicidio subortam, arg. c. *Inter corporalia*. § *Sed neque*, *de Translat. Episcop.*; ergo cum hanc non exceperit, censetur eam comprehendisse, prout in simili dicitur c. *Quia circa*, 22, *de Privileg.* Atque idcirco hanc sententiam, quam arbitror probabilior, tenet Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. XI, n. 156; Diana, part. IV, tract. II, resolut. 64, qui insuper citant Avilam, Continch, Hurtado, et alios, eademque sententiam censet probabilem Layman, lib. I. *Theolog. moral.* tract. V, part. V, cap. V, n. 2, ac novissime sequitur Ludov. Engel, n. 9, h. t.

28. *Potestas dispensandi est favorabilis; dispensatio odiosa, et restringenda.* — Nec obstat, quod dispensatio sit stricti juris, stricteque recipiat interpretationem, juxta paulo superius dicta. Non obstat, inquam: nam aliud est dispensatio, et aliud potestas dispensandi, quæ nulli est præjudicialis, nisi concedenti; hæc enim est favorabilis, atque extendenda; illa odiosa, et restringenda, prout uberius dictum cit. tit. *De Constitutionibus*. § 18, n. 433. et seqq.

29. *Solvuntur rationes sententiæ negativæ.* — Neque urgent rationes in favorem sententiæ negativæ, num. 24 et 25, adductæ. Non prima: nam hæc irregularitas revera provenit ex delicto non quidem proprio prolis, sed parentum ejus: qua de causa eam doctores inter irregularitates ex defectu ponere solent, quamvis adhuc ex delicto saltem mediate proveniat. Nec secunda: quia nullo jure convincitur, dictam facultatem a concilio Tridentino episcopis concessam ita esse